Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ita ut vicini ad eius voces concurrerent. Dissolvebantur ligature nervorum eius et dirigebantur. Preterita erat dolor intolerabilis et sic tribuente patrono clericus factus et in sospitate firmatus ad domum regressus est.

Sed et alius gressu debilis nomine Leuboveus iam clericus adveniens se per terram trahens, quia paupertate faciente non habebat qui eum ferret, de die in die beati Martini limina requirebat. Qui dum quadam die a foris ad sancti pedes fleret, directis manibus atque pedibus spectante populo sanitatem recepit. Tres virtutes istas ipsa die factas fuisse constat, quo Sigibertus gloriosissimus rex Sequanam transiens sine collisione exercitus pacem cum fratribus fecit. Quod nullus ambigat hanc esse sancti antistitis fuisse victoriam.

Eo namque tempore cecus quidam ab elemosinariis stipem postulans, cui non erat aliud in victu nisi qui manum porrexisset pietatis intuitu, nec erat domi presidium nisi miseratio devotorum. Die una dum ante sanctum sepulchrum fixis staret vestigiis, subito corripitur cum dolore in oculis. Et cum graviter ab hoc dolore consumeretur, ceperunt oculi eius spumam emittere et sic irrumpente a palpebris eius sanguine in rediviva luce renascens, lumen quod olim perdiderat videre promeruit.

Gundetrudis quedam de Viromandensi territorio oculorum lumen perdiderat. Que relinquens domum et patriam fide commonente venit ad sanctam basilicam, ibique diebus multis deserviens, unius oculi meruit recipere visum. Que mox oblita virum et filios, vesteque mutata, ad religionem ecclesiasticam domino inspirante transivit.

Sed nec hoc silebo, qualiter velut ex veste redemptoris nostri ad beatum sepulchrum fluxus sanguinis sit siccatus. Mulier quedam ex Arverno veniens cum viro suo de pago Transaliensi a profluvio sanguinis egrotabat. Secretum autem basilice mansionem habebat, que singulis diebus ad sancti confessoris limina iacens prostrata opem sanitatis poscebat. Factum est autem quadam die accedens ad sanctum sepulchrum orans et osculans de palla que super est posita, aures suas et oculos tangeret, protinus siccato rivo sanguinis ita sanata est, ut putaret se redemptoris fimbriam contigisse. Cuius vir in valetudine irruens, ad ostium basilice manibus depositus aliorum fideliter exorans, restincta febre convaluit. Et sic pariter hic ab incommodo, hec a profluvio sanati, magnificantes dominum ad propriam domum regressi sunt.

Coniunx Animii tribuni nomine Numula nate contrita a pavore usum unius pedis perdiderat et ita in debilitate corruerat, ut aliorum manibus sustentaretur erecta, sic vero disponeret processura. Que ad beati Martini pedes deposita, nocte tota cereum pro voto detinuit, nobis in basilica vigilantibus. Mane autem facto, moto matutinis signo, super pedem debilem constitit, ita ut omni debilitate sedata ad meatum suum propriis gressibus nullo sustentante libera remearet.

Quodam vero tempore cum beatus Germanus Parisiace urbis pontifex ad festivitatem beati antistitis accederet, Ragnimodus tunc diaconus, nunc episcopus, in servitium eius accessit, graviter a dissenteria laborans. Sed beatus Germanus prius ad villam ecclesie sue que in hoc territorio sita est venit. Igitur cum ante noctem vigiliarum sollempnitatis eius Turonis advenire cepisset, diaconem in villa residere iubet dicens: Ne forte fatigeris eundo, et aliquid deterius tibi contingat. At ille inquit: Potestas dei est, qui nos iubeat iuxta meritum pati. Nam ego non credo aliter nisi ad basilicam beati antistitis eam. Confido enim quod si tumulum eius attigero, salvus ero. Et statim ascenso equo ad basilicam venit. Mane autem accepta potione de pulvere sepulchri, sedata protinus infirmitate convaluit.

Vexillifer autem quidam ex Turonica civitate de pago transligerensi cecus beati Martini suffragia devotus expetiit, qui duobus assidue mensibus ad eius templum deserviens ieiuniis et orationibus perdurabat. Factum est autem in una die resurrectionis dominice, dum esset ad pedes domini et cum reliquo populo missarum sollempnia spectaret, subito apertis oculis cuncta clare cernere cepit, ita ut ad sanctum altare communicandi gratia nemine ducente veniret. Que autem fuit causa cecitatis eius edicam. Primo die pasche iussus est a domino suo ut agrum circuiret, inventumque aditum unde pecora introibant, dum eum claudere conatur excecatus est. Tunc ut diximus ad beatum sepulchrum veniens flens et eiulans visum quem perdiderat flagitabat. Die autem illa dum populo gratia corporis dominici traderetur, ei beatus antistes reddere lumen dignatus est, ac elucente sole luminum suorum refulserunt stelle. Quis unquam rogo talis medicus poterit inveniri, qui in una infirmitatem duas contulerit medicinas? Ecce in uno cecum due virtutes ostense, cui corporales oculos ad contemplanda terrena prius aperuit, nec cordis oculis ne ea concupiscat illuminavit, et ad suum dignatus est dicare servitium, quem ut ita dicam renasci denuo fecit in mundo.

Sed nec hoc reticebo, quid in sua festivitate operatus sit patronus. Palatina quedam puella paralysi humore percussa, usum gressuum male redacta perdiderat, ita ut contractis in poplitibus nervis calcaneos ad crura